

Esurivi, et dedisti mihi manducare, etc. ut ostenderet: *Quantum valeant opera misericordiae ad priora delenda peccata*, ait S. Aug. l. XXI. de civit. c. XXVII. Ideo Salomon ostium oraculi fecit de lignis olivarum, et in eo sculpsit Cherubim et palmas, III. Reg. VI. ad indicandum quod per opera misericordiae sit facilis et expedita via perveniendi ad ss. angelos et caelestem palam. In hac via Tobias caecus licet, c. IV. instruxit filium: *Eleemosyna ab omni peccato et morte liberat, et non patientur animam ire in tenebras. In gehennam, legit Cyprianus, ep. lll. quia alioquin potuisset ei dicere filius: Quare tu non facis eleemosynam, ut lumen recipias? si de tenebris corporis locutus fuisset, ut discurret Aug. de verb. Dom. XVIII. Certe S. Hier. ep. ad Nepotian. ait: Nunquam memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit.* Extorquet enim quodammodo a Deo maximam retributionem adeoque caelum ipsum, quando homo pauper dat Deo ditissimo in ejus pauperibus juxta id: *Quod uni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ad quod confirmandum, audite quomodo Graeculus quidam poeta expressit ab Aug. imp. alioquin tenacissimo et illiberali liberalissimam eleemosynam. Solebat is descendenti a palatio Augusto honorificum aliquod epigramma porrigere. Id cum frustra saepe fecisset, nihil muneris accipiens, rursusque eum id facturum vidisset August. breve manu sua in charta exaravit epigramma Graecum: pergenti deinde ad se obviam misit. Ille legendo laudare et mirari voce et vult. Cumque accessisset ad sellam, demissa in bursam pauperem manu paucos denarios protulit, deditque imperatori, addens: *Non secundum fortunam tuam Auguste, si plus haberem, plus darem.* Secuto omnium risu, dispensatorem vocat Caesar, et sestertiorum centum millia Graeculo numerari jussit, Macrobi. l. II. Satur. c. IV. Jam si hujus pauperis donum potuit aperire illiberale mimpereatoris manum ad tantam munificentiam, quid non poterit eleemosyna data Deo ad dandum promptissimo? Certe placuit Deo liberalitas S. Servuli mendici, qui collectam eleemosynam distribuit in alios pauperes. Idcirco in articulo mortis audiit cantum angelorum, et in eo emigravit, S. Greg. hom. XV. in evang. teste.

III. Ibi passionem suam inchoavit, et quasi in torculari pressus ac cum morte jactatus est, factus in agonia: ibi cohorti se ligandum obtulit, et inde ad crucem perrexit. Itaque ostendit eandem esse viam ad gloriam, quae est ad passionem et crucem Babylonii pueros Hebraeorum per saginam praeparare solebant, ut in conspectu Nabuchodonosoris venire ac servire possent, Dan. 1. at non ita Daniel: *Tentu nos, in-*

quit, et dentur nobis legumina et aqua, quasi dicat: Per jejunium evademus speciosi, et placebimus regi. Hanc viam etiam Christus ostendit suis discipulis, quando eos duxit secum ad montem Oliveti et luctaminis ad montem captivitatis. In templo Salomonis nullus lapis non politus est in structuram, et tamen in templo non audiebatur securis aut malleus, quia scilicet alibi poliebantur ac dolabantur, III. Regum VI. sic ad caeli municipium nemo admittitur nisi bene dedolatus tribulationibus, quod tamen hic, non ibi fit, ut explicat Sanctus Gregorius, XXXIV. moral. cap. X. Qui sic dolatur et patienter fert, utique in via caeli regia est, teste Chrysostomo, oratione III. de Lazaro: «Siquidem videris, inquit, virtutis studiosum innumeris tamen affligi molestiis, beatum hunc puta, ut qui commissa peccata hic diluat, et illic partam habeat mercedem.» Quinetiam, si quis prius male vixit, postea tamen tribulatur et ad expiationem suorum peccatorum poenas fert patienter, in eadem caeli via esse se non dubitet. Quod utique contigisse creditum est Friderico comiti de Isenburg, qui S. Engelbert. archiepisc. Colon. occidit: Is enim tandem captus, et Henrico archiepiscopo Coloniensi venditus, ad rotam tractus clarissima poenitentiae et patientiae signa dedit, publice et privatim peccata sua confessus: carnifici etiam manus, brachia et pedes securi amputandos ultro porrexit, et cum sexdecim ictus accepisset, nullam vocem aut ejulatum edidit, in rotam sic truncatus evector continuo oravit, et circumstantes ut pro se orarent, rogavit usque ad matutinas noctis preces, sub quibus spiritum reddidit, magna apud omnes spe salutis suae relicta, ut in vita S. Engelberti, 7. novemb. Sur. ex Caesario.

IV. Ibi Christus sedens contra templum, ut Matthaei XXIV. et Marci XIV. habetur, multa de futuro die judicii, variis parabolis edixit; de servis dominum suum expectantibus; de virginibus fatuis et sapientibus; de talentis exigendis a servis; de segregatione ovium et haedorum; de examine judicis, etc. quia scilicet in die judicii super illum montem descensusus et ibi iudicaturus est. Idcirco etiam angeli duo ascendente Domino meminerunt descensusus ejus ad iudicium.

Denique, in eo monte prostravit in verbo: *Ego sum, totam cohortem.* Est is mons incumbens valli Josaphat, praelatus, ut ex eo videri omnes plateae Jerosolymae queant, necnon mare mortuum, ut Adrichomius et alii referunt. Ascendit ergo Christus ex hoc monte Oliveti, indicans se in montem hunc iterum reversurum, velut orbis iudicem, et omnia lustraturum, juxta id Soph. 1. *In tempore illo scrutabor Jerusalem in*

lucerni; (ad litteram, extraham e latebris cives per Chaldaeos, quo se abdiderunt) et visitabo super viros defixos in faecibus suis, q. d. scrutabor eos, qui etiam inter bonos degunt et boni putantur, cum non sint: et eos qui in mari mortuo defixi in faecibus sunt. Quare qui crebro in consideratione et timore illius judicii versatur, secure ad caelum graditur. *Beatus enim homo qui semper est pavidus,* ait Salomon, Proverb. XXVIII. et S. Clemens, ep. 1. scribit S. Petrum dicere solitum: *Quis peccari poterit, si semper ante oculos suos iudicium Dei ponat?* Eodem ut respiciant apostoli, et nos videntur monere angeli ascendente Domino: *Viri Galilaei quid statis aspicientes in caelum?* q. d. non est illic via caeli, ubi eam quaeritis, sed in vallem Josaphat despiciate: iudicium imminens, cum rursus venerit considerate.

Hae est via, haec vestigia; quibus si instamus, non dubium caeli ingressum reperiemus. Ac propterea utique Christus ascendens monti Oliveti vestigia pedum suorum impressit, ut aliquot saeculis perseverarent, etsi crebro a peregrinis raderentur, teste D. Hier. in locis ss. quin et usque hodie inter Turcas christiani nominis hostes, ut testantur recentiores geographi et peregrini. Voluit ergo per haec vestigia quasi insinuare illud, quod de ipso vaticinatus est, Isa. cap. XX. *Erunt oculi tui videntes praecceptorem tuum, et aures tuae audient verbum post tergum monentis:* (q. d. abeuntis) *haec est via, ambulate in ea.*

CONCIO V.

TRIBUS MIRACULIS CONTINUIS IN MONTE OLIVETI CUR ILLUSTRARE CHRISTUS VOLUERIT ASCENSIONEM SUAM.

I. Ut suam ascensionem aliaque mysteria comprobaret.—II. Ut amorem suum erga nos hoc indicio testaretur.—III. Ut victoriae suae monumentum nobis relinqueret.—IV. Ut ostenderet viam caeli patulam.—V. Ut viam caeli nobis ostenderet.

THEMA.

Assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei.
Marc. ult.

Cum dilecti quique ad invicem discedunt, solent alteri relinquere memoriale aliquod. Idem fecit Christus. «Egregium plane monumentum (inquit cardinalis Baronius, in annal. anno Christi 34. numero CCXXXII.) suae ad caelos ascensionis Dominus redemptor noster non modo suis apostolis, sed posteris quoque spectandum reliquit: nimirum suorum sacrorum pedum terra impressa vestigia. De his olim Zacharias, capite XIV. propheta intellexisse videtur, cum propheticè hoc locutus est: Sta-

bunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad orientem.» De illis porro vestigiis testem habemus imprimis Sanctum Hieronymum, de loc. Hebr. Act. apost. «Mons Oliveti, inquit, ad orientem Jerosolymae, torrente Cedron interfluente, ubi ultima vestigia Domini humo impressa hodieque monstrantur. Cumque terra eadem quotidie a credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuo recipiunt. Denique, cum Ecclesia, in cujus medio sunt, rotundo schemate, pulcherrimo opere conderetur, summum tamen cacumen, ut prohibent, propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi et concamerari potuit, sed transitus ejus a terra ad caelum usque patet apertus.» Sic ille, cui accedit alter testis sanctus episcopus Nolanus ad Severum scribens in haec verba: «Mirum vero inter haec quod in basilica ascensionis locus ille tantum, de quo in nube susceptus ascendit, captivam in sua carne ducens captivitatem nostram, ita sacratus divinis vestigiis dicitur, ut nunquam tegi marmore ac pavimento receperit, semper excussis solo respuente, quae manus adornandi studio tentavit apponere. Itaque in toto basilicae spatio solus in sui cespitis specie virens permanet, et impressam divinorum pedum venerationem calcati Deo pulveris perspicua simul et attigua venerantibus arena conservat, ut vere dici possit: Adoravimus ubi steterunt pedes ejus.» Sic iste. Eadem habet Severus Sulpitius, sacr. hist. libro II. Magna sunt et mira ista beneficia, non sine magnis rationibus a Christo impertita, quas hic investigabimus. Relicta igitur sunt haec vestigia.

I. Primo, ut hoc miro et stupendo monumento comprobaret veritatem non solum suam in caelum ascensionis admirabilis, sed etiam aliorum mysteriorum et dogmatum nobis a se traditorum, quae omnia per ascensum illum adeo confirmata sunt, ut nemo stupidus aut contumax illis queat fidem denegare. Quis enim non credat eum de caelo venisse, qui in caelum stupendo modo coram tot testibus rediit: rediisse vero ostenditur per impressa illa vestigia? Rursus quis non credat ipsum esse Deum, qui in caelos sic evolavit? Quis enim alius unquam hoc praestitisse legitur aut praestare potuit? Imo cur hoc fieri ab homine posse unquam in mentem venit? Quare ex hac mirissima sua ascensione comprobavit Dominus mirum aliud dogma suum, de praebenda carne et sanguine suo in sancta eucharistia, quod aliqui velut durum nimis et incredibile reputabant. Joannis VI. tibi Dominus ait: *Hoc vos scandalizat?* Quod videlicet possim panem et vinum convertere in carnem et sanguinem meum, dareque ad sumendum sine detrimento aut con-

sumptione mei? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Subaudi: Quid dicitis? Adhucne scandalizabimini et fallacem me reputabitis? Non arbitror. Ex illo enim ascensu cognoscitis me esse Deum et panem, qui de cælo descendi, cum eo videbitis revertentem: agnoscitis ergo omnipotentem et veracem, cui merito omnia credenda, omniaque possibilia sint. Quando igitur hæc ascensio quasi sigillum et manus propria est, subscripta aliis Christi miraculis eaque authentica reddit; voluit eam Dominus non solum videntibus suis discipulis et primis Christianis spectabilem exhibere, sed etiam in posterorum, qui eam non viderunt, mentibus hoc visibili et perpetuo monumento insculpere, et toti mundo comprobare, etiam infidelibus, ut conspexit illis vestigiis credere in Christum possint, et ad hoc extimulentur. Itaque etsi Turcæ aliud testimonium divinitatis Christi non haberent præter hoc, sufficeret hoc ipsis et posset et deberet ad fidem suscipiendam, præsertim si addantur etiam reliqua, quæ dicemus, miracula circa eum locum; vestigiõrum perpetua restauratio, pavimenti instrati rejectio, laterum quibus fornix concameranda erat, repulsiõ. Huc enim spectare videtur, quod dicitur Hab. II. *Lapis de pariete clamabit, et lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit.* Lapis inquam, seu marmorâ, quæ ad tegendum et consternendum pavementum illud applicita quidem sed rejecta: lateres qui ad viam ascensus Domini claudendam fornice adhibiti fuere, isti omnes clamabunt et accusabunt imprimis Christianos, qui tam frivole et tepide credunt verbis Christi; deinde, Turcæ et infideles, qui hæc vident oculis suis, nec tamen pensi habent aut cordi ducunt.

II. Ut amorem suum erga nos mortales indelebili hoc judicio contestaretur et demonstraret, ut qui propter nos de cælo descenderit, et eodem propter nos e loco illo cum immensa electorum multitudine, ut et nobis locum pararet, reversus sit; sicque etiam reciprocum erga se amorem in nobis excitaret. Solent amantes amoris inmemoria sibi invicem relinquere, quæ magno ipsis constiterunt. Ita Jacob vita decessurus dilectissimo filio Josepho dedit partem unam extra fratres ejus, agrum scilicet Sichem: *Quam tili, inquit, de manu Amorrhæi, in gladio et arcu meo.* Variant ibi interpretes, quo gladio et arcu Sichimam acquisierit, Chaldæus vertit: *Quam tili in oratione mea et deprecatione,* S. Hier. in det. ad Hebr. *Quam emi in fortitudine mea,* h. e. pecunia, quam multo labore et sudore acquisivi. Christus autem Dominus, et pater noster quod amoris signum filiis suis reliquit vestigia sua monti Oliveti impressa, quem sacravit oratione et sudore suo:

viam inquam cæli patulam, quam nobis comparavit pretio sanguinis sui, gladio patientiæ et arcu crucis suæ. Videtur ergo nobis dicere: Videte filii mei, quanto vobis pretio comparavi viam cæli, quot ærumnosos et difficiles passus amore vestri fecerim, cum tristitia et mœre ascendo in hunc montem, ibi sanguinem sudando, manus ligantibus et genas cadentibus dando, gladium et arcum, quo me defendere poteram, sponte abjiciendo, et tradendo me judicanti injusto. Hæc est pecunia, qua vobis cælum emi. Agrum illum Sichem, seu Sichar, magna in æstimatione et pretio habuere posteri Jacobi: Josephi imprimis, qui moriens in Ægypto mandavit, ut illic ossa ejus, deferrentur sepelienda, Jos. ult. § XXXII. deinde, Samaritani, etiam semigentiles illi, inter quos Samarit. nomine Photina, jactat puerum Sichemitanum a patre Jacobi sibi suisque datum, Joan. IV. Quid non igitur nos gratitudinis, quid non reciproci amoris exhibeamus Christo Domino, qui viam cæli nobis apertam hæreditario reliquit?

III. Ut hominis et victoriæ suæ, quam de mundo, peccato, morte et dæmone debellato comparavit, trophæum suis illis vestigiis nunquam oblitterandis, velut characteribus indelebilibus in montem incideret, adeoque quasi repeteret id, quod dixerat olim: *Confidite, ego vici mundum,* Job. XVI. Hoc indicant vestigia, quæ toties erasa, nunquam deleta sunt, neque poterunt tegi aut vestiri instratis marmoribus. Cogitaverant hostes Christi, Judæi, nomen ejus e mundo prorsus eliminare, ut nulla ejus memoria superesset, uti prædictum, Is. XI. *Mittamus lignum in panem ejus, inquit, et eradamus eum de terra, et nomen ejus non memoretur amplius,* h. e. cibemus eum ligno crucis maledicto et infami, ut nemo de eo sic insumato loqui in posterum audeat. Ad eundem finem mire laborarunt ne vicinæ gentes Christum ab apostolis sibi prædicatum agnoscerent et reciperent, ut ex Justini dialogo cum Tryphone diximus alibi. Verum insani frustra laborarunt. Dicere enim possumus, quod in simili casu dixerat eis Christus: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt,* Luc. XIX. Clamant certe lapides, et gloriam Christi prædicant, illa imprimis arena, quæ vestigia ejus impressa deleri in se non permisit et retinet in hodiernum: deinde, marmorâ excussa: denique, lateres forniceis non admissi ad obstruendum aeris meatum. Quare vestigia illa Christi templo honorifico condecorata sunt, universo terrarum orbe in veneratione habita, et honorantur usque hodie, quodque mirabilius est, ab ipsis Christi persecutoribus custodiuntur et conservantur, quod certe non minus stupendum eo, quod in vita S. Noberti, c. XXXVII. legimus, lupum, qui

ovibus ejus insidiatus fuerat, ad ipsius imperium custodem ovium factum esse. Gloriosè magnificentus fuit Deus, quando Pharaonem cum exercitu suo, hostem et contemptorem divini nominis sui, dejecit in mare, et submersit cum suis curribus; ejus magnificentissimæ victoriæ et gloriæ monumentum extare voluit in vestigiis et sulcis, quos rotæ curruum Ægyptiacorum fecerant, adhuc extantibus, et in mari, quantum acies oculorum videre potest, apparentibus: quos si modicum commotio maris obtexerit, illo quiescente, rursus ut fuerant, renovari testatur S. Gregorius Turon. l. I. hist. c. X. et ante ipsum Paulus Orosius, l. 1. c. X.

Quis non similiter videt glorificari Christum in suis illis vestigiis Oliveto impressis, et ad præsens sæculum indeletis ac toties renovatis? Quis non iis conspexit cernit triumphum de impiis Judæis, qui nomen ejus erasum et extinctum ibant?

IV. Ut ostenderet cæli ostium suo ingressu jam effractum, adeoque patulum esse omnibus, qui ipsi adhæserint per fidem et charitatem, quod postea ad oculum S. Stephano ostensum clamanti: *Video cælos apertos, et Jesum stantem, etc.* Dum ergo meatum illum, per quem ascendit, obstrui fornice prohibuit (id quod in templorum nostrorum structuris ecclesia imitatur, dum in medio forniceis rotundum struit foramen) viam cæli ab ejus ascensione omnibus apertam indicavit, nosque ad celestem patriam desiderandam invitavit: quo modo mercatores cum officinas suas aperiunt, et merces suas exponunt, emptores ad se alliciunt. Certe canes ubi e vestigiis cervum vel aliam feram deprehenderunt, totis eam sequuntur viribus, neglectis et spretis omnibus impedimentis vel illecebris per avia et devia, donec inveniant, inventam porro latratibus et morsibus invadunt, donec in potestatem suam redigant. Hoc fine nobis Dominus sua reliquit impressa monti vestigia, ut perspecta felicissima laborum ejus clausula, curramus in odorem unguentorum ejus, nec desinamus eum fatigare suspiriis et precibus, donec ipsum reprehendamus. Hujusmodi catelli erant illi, qui dicebant, Ps. CXXXI. *Invenimus eum in campis silvæ: introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus;* et sunt tales quam plurimi pii fideles, qui ut hæc adorent et osculentur vestigia, Jerosolymam per tot maris et Turcarum discrimina peregrinantur. Unum ex illis memorabilem refert Rudolph. l. IV. hist. c. VI. his verbis: «Contingit ut quidam e Burgundia et Augustodunensi territorio, Lethaldus nomine, cum cæteris Jerosolymam pergens deveniret, qui prospectis locis omnium sacerrimis, cum ad illum locum montis Oliveti devenisse contingit, ex quo Salvator ad cælos ascendens,

tot idoneis testibus, venturus inde judicare vivos et mortuos est repromissus, projiciens se in crucis modum toto prostratus corpore, cum lacrymis inenarrabili mentis jubilo exultavit in Domino, erigens se identidem palmis ad cælum extensis, nisu, quo poterat, corpus librabat in altum, ac in voce hujusmodi aperiebat mentis desiderium. Aiebat namque, Domine Jesu, qui propter nos de sede majestatis tuæ descendere dignatus es, ut genus humanum salvares; quique ex hoc loco, quem oculis intueor, carne vestitus remeasti ad cælos, unde veneras: obsecro tuam omnipotentissimam bonitatem, ut si hoc anno est mea anima ex hoc corpore migratura, non hinc recedam, sed in conspectu ascensionis tuæ fieri contingat. Credo enim quoniam sicut te secutus sum corpore, qualiter ad hunc devenirem locum, sic anima mea illæsa et gaudens post te sit ingressura ad paradisum. His peroratis reversus est cum sociis ad hospitium. Erat autem jam hora prandii. Cæteris vero discumbentibus, conversus ipse ad lectulum vultu alacris, ac veluti gravi sopore paululum requieiturus, illico namque obdormiscens ignoratur quid viderit, protinus dormiens exclamavit: Gloria tibi Deus. Socii quoque hoc audientes monebant illum ut surgens comederet, qui noluit, sed vertens se in latus aliud, dixit se pati aliquid incommodi, recubansque usque ad vesperum, convocatis suis itineris sociis, vivificæ eucharistiæ requirens acceptum viaticum illisque dulciter salutatis emisit spiritum.» Hæc Rudolph. qui ex relatione eorum, qui omnia spectarant, scripsit quæ scripsit.

V. Ut viam cæli, qua ipsum sequi ad celestem patriam possemus, nobis indicaret, si nimirum vestigiis ejus insistamus, et vivendi rationem, quam ipse tenuit, pro viribus imitemur; id quod sane exigit Joan. ep. 1. c. II. *Qui dixit se in ipso manere, inquit, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare:* similiter S. Petrus, ep. 1. c. II. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Non hoc perfectis solis et religiosis, sed omnibus Christianis dictum intelligendum est, quia ut S. Aug. in Ps. XXXVI. ait: «Christianus est, qui non aspernatur viam Christi, sed vult viam Christi sequi per passiones ipsius. Noli per aliam viam velle ire, quam per illam, qua ipse ivit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via. Alia forte delicias habet, sed latronibus plena est:» et antè: «Per dura ambulavit, sed magna promissit; sequere. Noli tantum attendere, quo iturus es, sed et quo perventurus sis. Tolerabis dura temporalia, sed ad lætitiã pervenies sempiternam.» Ergo qui post Christum conscendere in cælum vult, cum ipso ad montem Oliveti pergat, et imprimis interspem

et metum constanter incedat, intuens ex una parte præmia in cælis promissa bonis, ex altera gehennam præparatam malis. Etenim mons Olivæ præaltus est, ut ex eo videri tota hinc civitas Jerosolyma, inde vero cerni mare mortuum possit. Jerosolyma cælum, mare mortuum representat gehennam. Quisquis ergo post Christum ascendere cupit in cælum, duos illos terminos præ oculis semper habeat: beatorum in cælo gloriam, et reproborum in inferno confusionem ac tormentum.

Porro sicut Christus in hoc mundo angustum semper locum tenuit, in arcto Bethlehemico antro natus est, in arcta cruce constrictus mortuus est, in angusto sepulcro conditus, per angustum callem in cælum sublatus est: ita decet Christianum in hac terra stantem nequam se expandere, et laxam viam inire, sed angustam potius, et sese coarctare. In cujus rei documentum, quando Moyses petiit a Deo, ut videre posset faciem ejus, respondit Deus: *Cum pertransibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et videbis posteriora mea*, Exod. XXXIII. quas

(uti explicat S. Cyrillus Jerosolymitanus, catech. X.) *Hoc faciam, sed ita ut capere possis: ecce ponam te in foramine petræ: cum enim æquus sis, in parvo circumscriptus eris*. Nimirum nec ipsam Domini humanitatem possumus sequi nisi circumscripti et constricti humilitate, contemptu nostri, vitæque nostræ restrictione. Christus dum ascendit in cælum faciem ad occidentem, dorsum vertit ad orientem, ut testatur Adrichom. et qui eo peregrinati sunt: partim modo qui ad beatam illam vitam tendunt, non ad orientem blandientis fortunæ et illecebrarum hujus mundi oculos suos dirigant, sed ad occidentem exeuntis et cum mœrore finientis: non ad vitam inchoantem, sed ad mortem sensim adrepentem. Hoc qui fecerit, cum Tyrio illo servo (de quo sæpius mentionem fecimus, ex Just. hist. l. XVIII. quique oculis in occidentem versis ad cacumina montium spectans, cæteris ad orientem aspicientibus, prior solis ortum vidit, adeoque in regem electus est) rex eligetur, et una cum Christo ascendet regnaturus in cælo

DOMINICA VI. POST PASCHA,

QUÆ EST DOMINICA INTRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

EVANGELIUM. JOANN. XV. et XVI.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. XVI. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me. Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

CONCIONES.

- I. Quomodo apostoli Christo perhibuerint testimonium; et Christianus quisque, etiam neophytus, perhibere debeat.
- II. Multiplex perfidia castigatur: fidelitas suadetur.
- III. Scandatum activum communi omnium sanctorum calculo vitandum.
- IV. Motiva ne scandalizemur in peccatis aliorum.
- V. Mali cur bonos oderint, et cur veritatem.
- VI. Argumenta et testimonia fidei christianæ.
- VII. Recte et salubriter fieri, quod indulgentiæ nunc liberalius concedantur.
- VIII. Adhortatio ad milites pro Ecclesia pugnantes.

- IX. Documenta.
- X. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quare, et quam immerito aliqui scandalizati sint in Christo.
- II. Quam sit grave et periculosum præbere scandala.
- III. Cur mali persequantur et odio habeant bonos.
- IV. Ratis et modus accendendi in nobis ignem Spiritus sancti.
- V. Stimuli ad emigrandum ex hac vita cum desiderio.

CONCIO I.

QUOMODO APOSTOLI CHRISTO PERHIBUERINT TESTIMONIUM, ET CHRISTIANUS QUISQUE, ETIAM NEOPHYTUS, PERHIBERE DEBEAT.

- I. Voce. — II. Digito seu conversatione. — III. Sigillo seu miraculis. — IV. Subscriptione seu martyrio.

THEMA.

De me et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Joan. XV.

Magna dignitas, auditores, collata est apostolis, cum ab eo designati sunt testes vitæ et passionis ejus; id quod hodie eis insinuat illis verbis: *Et vos testimonium perhibebitis* (de me) *quia ab initio mecum estis*. Quid enim aliud est testis, nisi defensor et tutor seu antistes causæ alicujus? Et quid erit defensorem et propugna-

torem esse Filii Dei? Hinc apostolus Petrus eo nomine gloriatur, non quod sit apostolus et illorum primas totiusque Ecclesiæ pastor, sed quod sit testis Christi. Sic enim ait, ep. 1. c. XV. *Obsecro consenior et testis Christi passionum*. S. etiam Paulus protomartyrem illum Stephanum non potuit honorificentiore titulo cohonestare, quam vocando eum *testem Christi*, Act. XXII. *Cum funderetur*, inquit, *sanguis Stephani testis ejus*. Denique, ss. martyres, qui pro Christi nomine sanguinem suum fuderent, hoc appellantur nomine, *martyr* enim Græce, *testis* est Latine. Cæterum si bene advertimus, etiam nos Christiani ea voce comprehendimur et dignitate insignimur. Si enim apostolus ad Hebr. XII. veteres patres vocat testes Christi seu martyres, quod fidem ejus contestati sint: s. Joannes, Apoc. XII. Henoch et Eliam venturos tempore antichristi, et ipsos appellat Christi testes, quis